



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 99. Utriusque exercitus ordo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XV.
A.C. 1512.

§. XCIX.

Utriusque exercitus ordo.

Guic. lib. 10

Acies autem hoc modo stetit: Ferrariæ Dux, & Paliceus primo agmine usque ad fluvium explicato dextrum cornu tuebantur, in quo erant septingenti lancearii, peditumque Germanorum ferme quatuor, aut quinque millia. Postea Ludovicus Brezæus supremus Normaniz Senescallus, & Sanseverinas Pisani Concilii Legatus mediæ aciei præerant, postremum vero agmen Fridericus Bozzolus ducebat: ad subitaneos vero prælii casus Gasto Fuxensis selectiores locaverat equitum copias, quæ etiam peditum tegerent, atque ad quosvis inopinatos eventus opportuno necessitatis præsidio accurrerent. Nil vero Fœderatorum res utilius promovisset, quam si Cardonna Gallis fluvii trajectum interclusisset, aciemque instructam tenuisset; ac re ipsa hoc consilium arripere debuisset, prout etiam provide Fabricius Columna Cardonnæ suaserat. Ast prævaluit Petri Navarri sententia, non tamen sine irreparabilis culpæ dispendio. Ceterum Columna in prima Fœderati exercitus acie octingentos cataphractos, sexcentos equites leviter armatos, & quatuor millia peditum habebat; reliquæ omnes
copiæ

copiæ in duo duntaxat contrahebantur Sæcul. XV.
 agmina, quorum uni Prorex Neapolita- A.C. 1512.
 nus, alteri Navarrus imperabat. Utroque
 exercitu sic instructo, Belliduces legio- *Mariana*
 nes lustrabant, cunctosque ordines obe- l. 30. n. 40.
 quitabant, ac milites suos ad pugnam *Guicci. lib. 10.*
 accendebant, eisque animos addebant:
 quinimo Scriptores Itali æque ac Hispani
 Gastoni de Fuxo prolixum sermonem
 ad suos milites attribuunt, omnesque
 eloquentiæ fontes exhauriunt, totoque
 ingenio vehuntur, ut amplissima Gastoni
 verba accommodare valeant.

Jam in conspectu utraque acies erat,
 utrinque certaminis avidissima, cum
 Gasto copias suas, licet horrendæ hosti-
 lium globorum tempestati expositæ essent,
 duabus horis subsistere jubet, tormen-
 torum suorum successum præstolaturus,
 quæ in dextero cornu prope Bedesin loca-
 verat: ea vero, cum exiguam hostibus
 stragem inferrent, quantocius ad lævum
 cornu transtulit, eorumque primis emis-
 sionibus sinistra Fœderatorum peditum
 acies prosternebatur. Nulla mora Fa-
 bricius Columna & Piscarius Tribunum
 ablegant, qui Cardonnæ significaret, quod
 totum agmen, si diutius intra aggeres
 hædere compelleretur, Gallorum tormen-
 tis periret. Attamen Prorex haud fle-
 cti poterat; interea vero Gallis denuo
 Y 5 tor-

Sæcul. XVI. tormenta sua non sine magna Foederatorum strage explodentibus, tandem Columna, Piscarius, ceterique Duces inultam mortem ibi oppetere dolentes, ex suis aggeribus excedere cogebantur, invito licet Cardonna, qui tamen & ipse, ut horum cladem præpediret, illos quoque imitari compulsus est.

§. C.

Pertinax utrinque pugna.

*Rubeus l. 8.
Guicc. l. 10.
Nicol. Basel
append. ad
Chron.
Naucler.*

Posthæc prælium ad belli leges instructum fuit initum, magisque exarsere utrinque dimicantium studia; Piscarius enim Marchio, ut Gallicorum tormentorum furorem averteret, equites suos leviter armatos eduxit, strictoque gladio in equestre Gallorum agmen toto impetu irruit, cataphracti vero collato utrinque pede primi cominus pugnam perturbatis licet ordinibus, neglectisque militaris disciplinæ legibus conseruere. Pugna varia, atrox erat, pertinax, & anceps, his atque illis sæpe exitialis, fortuna enim victoriam alternabat; tanto tamen furore uterque exercitus primum excipiebat impetum, ut quamplurimis ultro citroque cæsis, aliis majore adhuc numero vulneratis, non pauci ad pugnandum inhabiles redderentur: Equites quoque peditesque confuso agmine, ac pro-